DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

APOPLEXIA.

To Dr. Barclay
with the Authors Compliments

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

APOPLEXIA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu, et

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoratus,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

HENRICUS CLEMENTS,

HIBERNUS.

Ad diem 24. Junii, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

1812.

AMICO SUO,

ROBERTO HOOPER, M. D.

S. L. S.

SOCIETATUM PLURIUM PEREGRINARUM

SOCIO HONORARIO,

NOSOCOMII SANCTÆ MARY-LA-BONNE

MEDICO,

MEDICINÆ PRACTICÆ

PRÆLECTORI SOLERTISSIMO,

LONDINI

ARTEM MEDICAM

FELICITER EXERCENTI,

MORIBUS INTEGERRIMIS

ORNATO,

ET OMNIBUS BONIS DISCIPLINIS

ELEGANTER IMBUTO;

HOCCE OPUSCULUM,

AMICITIÆ OLIM SANCITÆ

PIGNUS,

SACRUM VULT

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

APOPLEXIA.

Henrico Clements, Auctore.

Morbo, cujus impetu omnes obstupescunt sensus, et musculi motus voluntarii resolvuntur, nomina ab auctoribus indita, gravem et subitum lapsum, quo corruant ægri eo correpti, quoddammodo demonstrant; hinc enim *Morbus attonitus*, *Sideratio*, *Nervorum resolutio*, et *percussio*, vel *Apoplexia* audit.

Apoplexiam, de qua, lege academicâ adstricti, pauca scripturi sumus, CULLENUS, summus iste Nosologus, hisce verbis luculenter satis definivit:

"Motus voluntarii ferè omnes imminuti, "cum sopore plùs minúsve profundo, super"stite motu cordis et arteriarum."[1]

HISTORIA.

LICET aliquando Apoplexia hominem adeò subitò invadat, ut æger nullis morbi imminentis signis præmonitus derepente prosternatur, quasi fulminis ictu perculsus; sæpiùs verò quædam apoplexiæ invasuræ dantur prænuntia, quibus probè perspectis, medicus ad malum arcendum nonnunquam valeat, quod semel obortum ferè medicinam vincit.

Apoplexia

Apoplexia paulatim obrepente, accedit plerumque dolor capitis, modò gravis, modò acutus, quem ferè hebetudinis et vertiginis sensus comitatur; tinniunt aures, et molesta audiendi gravitas subindè adest; venæ capitis sæpè turgent, arteriæ solito vehementiùs pulsant, et facies nunc rubore suffusa et turgida, nunc justo pallidior observatur; nec rarò sanguinis profluvium e naribus morbum aliter venturum cohibet: omnes ferè sensus languent et hebescunt; insolita ad somnum proclivitas urget, et inter dormiendum incubus et dira insomnia ægrum exercent; nec rarò expergescenti, torpor et quædam movendi impotentia, brevi plerumque duratura, percipitur; interdum artus adeò imbecilles evadunt, ut ad munera obeunda prorsus invalidi sint, vel tremoribus et motibus inordinatis sæpè agitantur, nonnunquam levi et fugaci paralysi planè resolvuntur. Visus sæpè variis modis depravatur; nunc densa caligo oculis subitò prætenditur, nunc muscæ ante eos obvolitant, vel strabismo distorti visum duplicem exhibent.

Omnes

Omnes sensus, interni pariter ac externi, adveniente hoc morbo, gravem sæpè noxam contrahunt; in quibusdam exemplis omninò obtunditur mentis acies, gravi quasi veterno oppresa; sæpiùs verò vitium memoriæ potissimum incumbit, cujus varias depravationes, mirabiles sanè, sed haud facilè exequendas, hic loci separatim notâsse supervacuum foret: nec raró, utcunque accurata sit mentis perceptio, ægri nequicquam verba proferre nituntur, et vox balbutiens vel inexplanata fit: "Non lingua valet, non corpori notæ sufficiunt vires, nec vox aut verba sequuntur." Variat multùm tempus per quod hujusmodi signa perstiterint, antequam æger apoplexiâ corripiatur; modò per unam alteramve diem, modò per plures menses vel etiam annos, hæc monita ejus impetum prægrediuntur. In ipso paroxysmo, sensus et motus voluntarii omnino pereunt, et sopor adeo profundus plerumque urget, ut nulli stimuli, ne quidem validissimi, ægrum ex eo suscitent, vel sensum levissimum edant. In multis autem exemplis somnus non adeo ferreus

adest,

adest, quin ægri acrioribus stimulis solliciti, sentiendi vim non penitùs esse abolitam testentur, audiunt enim, vident, et ex tactu dolent. Respiratio utplurimum valdè laboriosa et difficilis evadit, nonnunquam abnormis et interrupta, stertore et rhoncho sæpè concitata, præsertim si morbus ad finem infelicem properat.

Arteriarum pulsus a morbi principio ferè pleni, validi et frequentes observantur; interdum verò tardiores, debiles et inæquales evadunt. Facies sanguine suffusa vel rubet vel etiam livescit; est tamen ubi præter solitum pallet, vel colorem ex naturali haud alienum ostendit. Venæ circum collum et caput sæpè admodum turgidæ fiunt, et arteriæ interdum ita vehementer pulsant ut carotidum ictus oculis planè conspici queant.

Oculi plerumque rubri, turgidi, efferi et semiaperti apparent. Musculi faciei sæpè spasmis afficiuntur, dum ex ore, haud rarò vehementer distorto, spuma assiduè effluit. Sudor, nunc tenuis, nunc viscidus, et gelidus, e corporis superficie dimanat. Devorandi facultas

cultas vel prorsùs deletur, vel saltem multùm impedita est. Urina modo præter naturæ ordinem retinetur, modò præter voluntatem effluit ; et alvus vel admodum compressa manet, vel fæces insciè elabi sinit ; nec rarum est quod latus oppositum ei, quod paralysi tactum fuerit, motu inordinato subinde exagitetur.

Ingravescente morbo, spirandi difficultas sensim aucta, ictus arteriarum debiles admodum ac intermittentes, ad carpum vix percipiendi, partes extremæ frigidæ, et sudor gelidus e toto corpore erumpens, mortem haud procul abesse planè testantur.

Quod si ægri ex paroxysmo resurgant, multùm abest ut pristinus vigor redeat, vel corporis et mentis functiones in integrum restituantur ; perennis enim imprimitur labes, et, quod superest ævi, membris et mente resoluti miserrimè sæpè sæpiùs trahunt, donec morbi impetus, iterum atque iterum presso pede rediens, ærumnis finem tandem imponat.

CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

Non omnes homines, neque omnem ætatem, apoplexiæ pariter esse obnoxiam, neminem latet; quid igitur in causa est ut quidam præ cæteris impetum ejus sustineant, paucis expendere conabor.

Quicunque ad fabricam, cursum, et commercium vasorum cerebrum adeuntium animum adverterit, naturam, quæ nil molitur ineptè, hoc miro artificio voluisse sanguinem ordinatâ lege versus caput mittere, planè percipiat; quodcunque itaque, quo minùs hoc ritè peragatur, obstet, corpus in morbi discrimen adducat, eò graviùs quòd organo nobilissimo periculum minitatur.

Rara sunt exempla in quibus juniores hoc morbo plectuntur; ætatem jam in senium vergentem potiùs obsidet; post annum quadra-

gesimum

gesimum actum subinde occurrit; sexagenariis admodum familiaris existit.

Causam quæ homines, progrediente vel jam inclinatâ ætate, morbo opportuniores reddit, auctores passim repetunt ex aucta densitate, quam arteriæ in progressu vitæ adipiscuntur. Ita enim comparatæ sunt arteriæ ut sanguis primâ ætate in iis magis abundet, quo corpus debitum incrementum capiat; nam e renixu venarum, quæ tunc temporis multò densiores sunt, fieri nequit quin sanguis in arteriis accumuletur; hæ verò, ob perpetuam pressuram, venarum densitatem tandem exsuperant; et ideo sanguini ex venis in eas influenti magis renituntur; quò fit ut sanguis in iis præter naturæ institutum congeratur, præsertim si nimia vasorum plenitudo hujusmodi vitio faveat. Hinc si vasa sanguinem vehentia præter modum impleantur, vitium in senum venis potissimùm incumbere debet; et præsertim venis capitis, valvulis carentibus, et nullâ pressurâ adjutis. His porrò accedit quod arteriæ cerebri, ingravescentibus annis, quandam mutationem subire videntur, qua

debiles

debiles et fragiles factæ, levi datâ occasione, apoplexiæ impetum concitent.

Est quædam congenita labes, e corporis structura pendens, quæ homines apoplexiæ proniores reddit. Hi quibus caput magnum et collum breve est, hoc malo frequentiùs corripiuntur.

Non bene consentiunt medici de modo quo caput magnum ad apoplexiam concitandam conferat. Ut nonnulli volunt, vires cordis in tanta sanguinis mole per iter adeò sinuosum promovenda fatiscunt; et congestio igitur, ad apoplexiam tandem originem datura, progignitur. Sed caput magnum plenum corporis habitum sibi comitem ferè adjungit.

Collum breve, ratione minùs ambiguâ, apoplexiæ viam sternit; quò minus enim pars ulla ex corde distat, eò sanguis majore impetu in eam irruit; et, in hoc rerum statu, tantùm abest ut venæ capitis, magis a recto deflexæ, sanguinis reditum versus cor expediant, quin potiùs regressum ejus nonnihil remorentur.

Obesitas inter apoplexiæ causas jure recensetur; nec obscura est ratio, sanguis enim, ubicunque tale offendit impedimentum, iter difficiliùs prosequens, aliorsùm averti debet, et majori, quàm par est, copiâ et impetu interiora versus urgeri.

In hoc casu sanguis ad cerebrum et pulmones justo uberiùs pellatur necesse est, cùm textus cellulosus adipe oppletus liberum ei transitum denegat. Omentum quoque tali onere oppresum multis modis nocet; vasa vicina enim comprimit, et septi transversi descensum impedit; hinc obesi spiritum sæpe ægriùs trahunt, et ex omni ferè corporis nixu vel exercitatione, anheli fiunt. Porrò, monendum est obesitatem sæpissime nimiâ sanguinis plenitudine copulari, quâ nil potentiùs ad apoplexiam excitandam; nec verbis opus est, ut enodetur ratio quare nimia sanguinis abundantia talem effectum edat.

His causis meritò accenseri debet peculiaris fabrica vasorum capitis a parentibus orta, quâ apta fiunt ad sanguinem congerendum, etsi nullis externis notis corpus ad apoplexiam

pronum

pronum apparuit. Insuper aliquid ejusmodi evenire solet ex diuturno liquorum spirituosorum abusu; qui itaque, præter quod causam morbi excitantem frequentissimam præbeat, causis huic morbo proclivitatem dantibus, annumerandus est.

CAUSÆ OCCASIONALES.

De alio genere causarum, de iis, scilicet, quæ morbum proclivibus concitent, pauca veniunt dicenda. Hæ generatim complectuntur omnia, quotquot sanguinem vehementi et incitato motu caput versus propellunt, vel ei ad cor reduci obicem ponunt.

Exercitatio, saltem paulo vehementior, sanguinis motum promovendi insigni vi pollet, musculis enim semet validiùs contrahentibus, venæ compressæ sanguinis reditum ad cor

confestim

confestim expediunt, et eum ad caput ex tali pressura immune, uberiùs deferunt. Nec minùs ad hoc attinet, quod, corpore vehementiùs exercitato, pulmonum munera aliquantum turbari solent; hinc inspiratione magis plenâ et diuturnâ opus est, quo fit ut sanguis minus liberè a capite redeat, et simul incitatiùs ad id mittatur. Idem quoque evenit ex omni graviore corporis nisu, ex magna vocis contentione, tussi vehementi, flatu vel cantu. In his enim inspiratio et exspiratio præter solitum productæ, sanguinis transitum per pulmones non impedire nequeunt; quod revera fieri, faciei rubor et tumor, vertigo, et capitis dolor, et etiam levis quædam sensuum confusio, quæ ex inspiratione justo pleniore facile superveniunt, satis testantur.

Animi motus excitantes, hi scilicet, qui, nervorum interventu, vasa sanguifera sæpe vehementer incitant, valde proni sunt, qui jam proclivibus apoplexiam inferunt; nec rarum est quod homines nimis gaudio gestientes, vel gravi irâ commoti, subitò corruant apoplectici. Talem vim pestiferam his mentis

perturbationibus

perturbationibus inesse aperte docet, vel ipsa vasorum capitis et cervicis turgescentia, quæ irâ efferatâ exagitatis contingere solet. De damnis ex his animi affectibus orituris, eleganter, ut mos est, scripsit GAUBIUS, in eximio de pathologia libello :

"Quocunque autem modo isthæc in homine fieri concipias, sive mente imperante, sive cœco instinctu seu incitante quadam vi, menti indita, a reliquis ejus facultatibus distincta, illud certum, deberi ea quidem mirabili, quod inter bina hominis principia viget, commercio : at hoc ipsum tamen leges limitesque, quibus in statu tranquillo adstringitur tum adeo excedere ut, qui eduntur, effectus prorsus insoliti ejusque viribus longe superiores, videantur.—Inde sensuum, motuum, circulationis, respirationis, secretionis, excretionis, coctionis, nutritionis, generationis, innumera ex hoc fonte vitia profluere quotidianum est, quæ alias quidem naturæ viribus sponte rursùm superantur ; nec raro tamen in omne etiam morborum genus, et in subitaneas lentasve mortes abeunt."

Crapulâ

Crapulâ nulla potentior apoplexiæ causa existit; quotidie enim proferuntur exempla hominum belle valentium quos, dum ad mensam lautè extructam voracitatem explebant, pateris inhiantes et ventri omnino deditos, apoplexia jam rite saginatos, extemplo immolavit. Rectè enim cecinit HORATIUS, crapula quam ense lures esse trucidatos:

"Hinc subitæ mortes, atque intestata senectus."

De modo quo ventriculus nimis cibi onere gravatus, ad apoplexiam excitandam adeò habilis existit, nonnihil adhuc ambigitur; non dubium autem est quin ventriculus cibo onustus et distentus, stimulum satis validum universo corpori præbeat, præter quod septi transversi descensum impediendo, quò minus sanguis libere per pulmones transeat, obstet.

Multis olim persuasum fuit, quandam pressuram aortæ illatum fuisse, quæ tamen vix fieri potest, ut ex positura ventriculi pleni, nunc meliùs intellecta, satis patet.

Ebrietas,

Ebrietas, inter causus hujus morbi excitantes, meritò recensetur; nec mirum, cùm ebrietas ipsa corporis conditionem apoplexiæ adeò affinem sæpe gignit, ut cautò opus est ne confundantur. Omnes enim liquores meraciores insignam vim in cordis et arteriarum motus exercent, et sanguinem præprimis versus caput copiosius et vehementius impellunt.

Omnis corporis positura quæ sanguinis iter per arterias festinat, reditumve per venas inhibet, ut inclinatio corporis, vel decubitus supinus cum capite demisso, viâ satis manifestâ apoplexiam inferre possunt.

In multis hominibus facies summo rubore suffusa, oculi caligantes, vertigo, dolor capitis, sensuum internorum defectiones, ex tali corporis situ statim superveniunt.

Ligaturæ circa collum venas propiùs ad superficiem decurrentes, quàm arterias profundiùs positas, magis comprimant necesse est; quo fit ut sanguinis regressus e capite haud sine apoplexiæ periculo remoretur.

Idem forsan spectat subita colli distortio, quæ morbum induxisse fertur.

Caloris

Caloris et frigoris vices, vel quod sanguinem e corporis superficie interiora versus pellant, vel quod stimulum corpori impertiant, apoplexiæ interdum causæ extiterunt.

Vitia organica, quotquot cor et magna vasa ita obsident, ut sanguini e capite redeunti impedimentum ponant, viâ haud obscurâ ad apoplexiam concitandum valeant; hinc valvulæ cordis in os versæ, aneurismata, et alia id genus bene multa, hoc nomine accusantur.

Cordis polypos falsò, ut videtur, culpârunt medici, cùm argumenta satis firma eos post mortem tantùm formari suadent.

Præter causas jàm dictas, sunt et aliæ, quæ ratione plane diversâ apoplexiam inferunt; hæ scilicet, quæ, vasis sanguinem vehentibus omnino intactis, vim pestiferam in nervos recte exercent; et morbum, de quo sermo est, sine ulla pressura cerebro allata, inducunt. Ad hujusmodi causas, venena quædam metallica, ut vapores hydrargyri, et plumbum; gasia nociva, ut acidum carbonicum; narcotica; animi affectus deprimentes; et omnia, quæ vi quadam sedante pollent, referri possunt.

sunt. Modum, quo hæ causæ cerebrum et nervos ad munia obeunda invalida reddant, prorsùs ignoramus.

DIAGNOSIS.

Vix ulli dantur morbi qui apoplexiam adeò mentiuntur, quin medicus in morbis dignoscendis, vel leviter versatus, discrimen inter eos facilè notet.

Sunt quidam soporosi affectus, *carus* scilicet et *lethargus*, qui apoplexiæ adeò affines sunt, ut a nonnullis leviores ejus species habeantur. Hi autem caro detenti ex somno utcunque profundo quodammodo suscitari queant, secus ac in vera apoplexia evenit; nec sensus interni ita obruuntur, quin interrogati responsa, etsi parùm apta, dabunt; in somnum verò iterum lapsuri, statim ac stimulantia sublata fuêre. In his quoque stertor abest, et respirationis munera haud turbari videntur.

In *Catalepsi*, morbo admodum raro, licet eo correpti obstupescant, et omnes sensus externi pariter ac interni penitùs cessent, ægri tamen non humi prosternuntur, sed ipsam posituram, quam, ingruente malo, habuerunt, retinent, gravi quasi animi motu perculsi, et immobiles, perinde ac mens in una re penitùs infixa et rapta, res externas omninò neglexerat.

Inter *epilepsiam* et apoplexiam hoc intercedit, quod, licet in utrisque sensus penitùs intercipiantur, in iis epilepsiæ convulsis totum corpus motibus inordinatis exagitatur, qui tamen, si unquam homines apoplexiâ sopitos exerceant, multò minùs generales sunt; et unum corporis latus tantum convellunt; porrò in plerisque exemplis, ægri historia prægressa ad diagnosin rite instituendam satis valebit.

Ebriosi nonnunquam in soporem adeo profundum incidunt, ut medici, et quidem sagaces, in quibusdam exemplis ad eos probè secernendos haud valuerunt; in plerisque autem casibus sopor ex vini abusu, haud ita altus est, quin eo sepulti fortiter stimulati persentiscant;

spiritus

spiritus præterea vinum ferè redolet, quod tamen nodum nequaquam solvit, cùm ad apoplexiam concitandam ebrietate nulla causa potentior existit.

Medici, ut inter apoplexiam *sanguineam* et *serosam* ritè discernerent, haud parum operis collocarunt; parvi tamen interest naturam fluidi in cerebrum effusi cognovisse, nisi talis notitia nos ad diversam medendi rationem perducat; sæpe autem hæ duæ apoplexiæ species eandem causam agnoscunt, eadem remedia postulant.

Multo magis in usus medicos redundet, si accuratè perspectum fuerit, utrum apoplexia e vasis relaxatis vel ex copia et impetu sanguinis præter ordinem auctis originem habeat, quippe hujusmodi causarum cognitio ad idoneam medendi methodum instituendam haud parùm conducat.

Apoplexia sanguinea homines temperamento sanguineo præditos, laute viventes, et robustos, potissimùm adoritur, sæpe tam subitò, ut nulla prænuntia ejus impetum præcedant, præsertim si gravior quævis causa sanguinem

caput

caput versus vehementer urgens antecesserit. Facies rubore plerumque suffusa est et turgida; capitis et colli venæ tument, et oculi semiaperti multùm prominent. Pulsus item pleni, validi, et frequentes, plerumque deprehenduntur.

In specie autem serosa, saltem quæ ex vasis relaxatis et habitu corporis leucophlegmatico et cachectico pendeat, signa ex his sanguineæ propriis multùm diversa semet ostendunt. Hæc non ita subitò accedit, quin multa indicia ejus adventum sæpe denotent; sensus omnes paulatim imminui videntur, et obtundi; dotes mentis hebescunt, membra torpent et vacillant, voluntati minùs promptè obtemperantes; et ægri somniculosi et fatui, omnibus ferè vitæ muneribus impares evadunt. In ipso paroxysmo facies utplurimum pallet, et pulsus parvus, tardus, et irregularis est.

PROGNOSIS.

PROGNOSIS.

Apoplexia nunquam vacat periculo, et prognosis semper infausta est; etsi enim ægri eo impliciti ex paroxysmo resurgant, pristinæ salutis munera rarissime ita redeunt, quin multa morbi vestigia remaneant: porrò in iis, qui apoplexiæ impetum semel passi sunt, tanta ad redeundum inest proclivitas, ut nova ejus accessio semper metuenda sit, quæ citiùs aut seriùs mortem tandem afferat. Quò certiùs autem medicus morbi eventum prævideat, ad ejus causas, historiam ægri prægressam, corporis habitum et symptomatum vehementiam, sedulò respiciendum est.

Quò magis ætate et viribus floreat ægrotans, eò melior secundæ valetudinis affulget spes, maximè si apoplexia ortum duxerit ex causa valida excitante, potiùs quàm ex ullo vitio quod penitùs corpori insederit.

Si

Si tamen morbus senes ætate pene confectos, pravo corporis habitu preditos, gulæ plus justo indulgere solitos, invaserit, timendum est ne omnis medicina frustrà adhibeatur. Hi enim vel statim pereunt, vel si semel evaserint, recidivo morbo brevi e vivis rapiuntur; quod minùs dolendum est, cùm damnosa morbi potentia a primo ejus impetu vires et animi et corporis ita ferè subruit, ut lentâ ægritudine exhausti, mortem, solam miseriis finem, amicè salutentur. Nec minus periculi est si serosa colluvies ex vasis relaxatis et viribus resolutis in cerebri cavis confluxerit.

Sunt quædam apoplexiæ causæ adeò vehementes ut vitam ferè statim extinguant; hujusmodi sunt acidum carbonicum, et narcotica, et alia quorum vis subita atque intensa hominem morte opprimere solet.

Nnec res omnibus attonitis adeò infeliciter cedunt, quin in prognosi statuenda, multùm a signorum vehementia pendebit. Si levior fuit morbi impetus, si spiritus liber, facilis atque æqualis maneat, si sensus non omninò deficiant, sed æger potus oblatos haurire queat, et quædam movendi

movendi facultas supersit. Si sudores calidi e toto corpore ubertim dimanaverint, sanguis e naribus confestim erumpat, vel quædam evacuatio perperam suppressa sponte revocata sit; si denique vires a natura insitæ neque senio neque morbis prægressis fractæ fuêre, nulla causa est cur eventum infelicem prædicemus.

Contrà, mala est apoplexia, in qua sensus et motus penitùs deficientes nullis stimulantibus obtemperant; respiratio valdè difficilis est, cum rhoncho, stertore et oris spuma; sudores frigidi ex aliqua corporis parte erumpunt, et, sphincteribus resolutis, lotium et fæces insciè elabuntur. In summo quoque vitæ discrimine versari solent hi qui apoplexiam jam antea experti sunt.

MEDENDI

MEDENDI RATIO.

Præceps hujus morbi periculum postulat ut medicus arcessitus medendi occasionem promptissimè arripiat, et ad auxilia validissima extemplò confugiat.

Æger statim in tali positura collocandus est, ut caput nonnihil supra reliquum corpus elevetur, et omnia ejus vestimenta statim exuenda sunt, fenestris et foribus apertis, ut liber aëri frigido pateat aditus; dum cavetur ex turba adstantium, quæ in ejus cubiculo congregata aëra nociva materia inquinet, et simul calefaciat.

Dum hæc fiunt, medicus ægri ætatem, corporis habitum, vivendi rationem, morbi causas, signorum vehementiam, et apoplexiæ speciem sedulò perpendere debet, et ex his ritè perspectis statuere an sanguis mittendus est,

quo

quo prudenter misso nil præsentius adfert auxilium in morbo, ubi sanguis vel incitato impetu, vel nimiâ copiâ cerebrum urget et opprimit. Si igitur facies rubore sit suffusa, pulsus plenus et validus, et æger plethoricus, non dubium erit quin sanguis illicò ex amplo vulnere detrahendus sit, venâ vel brachii vel jugali statim incisâ. Quod si venæ jugulares incidendæ sunt, cavendum ne collum vinculo constrictum sanguinis reditum a capite inhibeat. Quantitas, quæ mitti debet pro ægri ætate et viribus, vasorum plenitudine, et pulsuum statu, mensuranda est. Nec negligenda est topica ista sanguinis detractio, quam scarificatio, vel cucurbitulæ cruentæ occipiti admotæ, vel denique hirudines præstant, quæ eò magis necessaria erit, si vires jam effœtæ sanguinem aliunde mitti prohibeant. Præcepta, quæ Heberden, medicus sagacissimus, de sanguine in hoc morbo educendo tradidit, quippe omni attentione digna, hic loci ipsius verbis recensere haud alienum erit. "Sanguinis missio vulgò existimatur esse præstantissimum attonitorum auxilium, et pro-

" fectò ubi æger florente sit ætate, et san-
" guine abundet, et lautioribus epulis assue-
" tus fuerit, vena sine mora est incidenda;
" veruntamen largæ et repetitæ sanguinis de-
" tractiones omnibus apoplecticis et paraly-
" ticis, nullo delectu habito, utiliter aut tutò
" adhiberi certè non possunt. Etenim juni-
" ores et robusti non tam obnoxii sunt his
" morbis, quàm pueri infirmi et effœti senes,
" in quibus vires nutriendæ sunt, et exci-
" tandæ, potiùs quàm minuendæ; dum multa
" sanguinis profusio, quemadmodum in sub-
" mersis fieri dicitur, omnes naturæ conatus
" reprimit, et tenues vitæ reliquias penitùs
" extinguit. Quod si consulamus experien-
" tiam, hæc, quantùm possum judicare, testa-
" tur copiosas sanguinis missiones sæpe no-
" cuisse, easque in non paucis ægrotis tutiùs
" fuisse prætermissas."

Emplastra vesicantia non leve præsidium apoplecticis afferunt; ad ea in omni morbi genere tutò decurritur; capiti priùs raso imponenda sunt, et exulceratio ab iis facta promovenda, ut sanguis ab internis partibus exteriora

teriora versus avocetur. Si deglutiendi facultas adhuc maneat, ea danda sunt cathartica, quæ alvum promptissimè moveant, sin aliter, enemata acriora ex inferioribus partibus infusa huic proposito egregiè satisfaciunt. Nicotiana autem, quæ vi haud exiguâ motum ac sensum sedandi pollet, ab iis subter infundendis procul absit. Utcunque autem alvus ab his soluta fuerit, curandum est ut æger, simul ac ad id valeat, catharticum ore assumat.

Nemo ferè est hodiè qui non emeticorum usum in omni apoplexiæ genere improbat, nec immeritò ; cùm nulla sunt medicamenta quæ sanguinem versus caput vehementiùs pellunt ; quod facies rubra et turgida, vertigo, et interdum sanguinis fluxus e naribus inter vomendum, aperte demonstrant. Nonnulli autem qui damna ex emeticis in solitis apoplexiæ exemplis oritura satis perspecta habeant, ea tamen in iis hujus morbi casibus, qui ex nimia ventriculi repletione ortum ducunt, haud mediocriter esse profutura contendunt. Consultiùs forsan agunt, qui etiam

in

in hoc rerum statu ventriculum catharticis exonerare nituntur. Burserium habemus profitentem, "Non semel meis ipse oculis vidi "datum ab aliis emeticum, et vehementer "dolui, hemiplegiam vel levem, et particu- "larem apoplexiam, illico in validam, et uni- "versalem transiise; fortem verò atque ex- "quisitam, intra paucas horas, in mortem."

Quodsi periculum sit ne morbus ex venenis in ventriculum sumptis superveniat, et vomitus non sponte obortus est, ad eum statim promovendum iis emeticis, quæ suos effectus promptissimè edunt, omni ope contendere debemus. Si tamen ex hujusmodi causa apoplexia jam aderit, meliùs forsan erit ab emeticorum usu omninò abstinere, quia sanguinis congestionem in vasis capitis jure timemus.

His de remediis, quæ in ipso paroxysmo conveniunt, jam dictis, pauca restant monenda de iis quæ apoplexiam in proclivibus arceant, quæ eò magis attentionem postulant, quod periculosa hujus morbi natura vel statim exitium, vel saltem labem corpori prorsùs immedicabilem, inferat; summis itaque viribus nitendum

est

est ut morbo venienti occurramus, cui præsenti mederi vix valemus.

Omnes causæ quæ sanguinem justo vehementiùs in caput propellunt, vel quæ nimiam vasorum plenitudinem efficiunt, omni curâ sunt evitandæ. Hoc igitur consilio, diæta potiùs tenuis, ex vegetabilibus et lacte potissimùm confecta, præcipienda est; procul absit omne genus ciborum quod corpus stimulat, et simul multum nutrimenti recondit; hinc carnes, cibi omnes aromatibus conditi, butyrum, et condimenta ex farinaceis et frugibus maturis, mitioribus locum cedant. De hujusmodi tamen legibus diæteticis observandum est, nil esse adeò perpetuum, quin multùm ex ægri ætate, corporis habitu, viribus, et solita vivendi norma, pendebit. Si enim ætas provectior fuerit, et æger cibis lautioribus diu assuetus, aliquid pravæ consuetudini concedendum est, et meliùs erit paulatim ex stimulantibus desuescere, ne nimis subitò subducta labentis ætatis imbecillitatem periculosè adaugeant. Si itaque ægri stimuli soliti defectum ægrè ferant, cibus animalis

malis parcè concedendus est; ex omni autem ventriculi repletione sedulò cavendum est, et cœna, nisi tenuissima, omninò prohibenda. Parùm tamen proficitur si homines, ad apoplexiam opportuni, dum a mensis lautè extructis abstineant, potionibus meracioribus indulgeant: nec hoc ita intelligendum est, quasi in omni exemplo hujusmodi liquores penitùs interdicerentur; si ætas provectior, inveterata consuetudo, et vires multùm fractæ, aliquid meracius efflagitent, cerevisia tenuis pro potu communi, quippe quæ ad alvum solvendam nonnihil conferat, aquæ ferè anteponitur.

His qui propter vitam desidem ad nimiam sanguinis abundantiam proni sunt, exercitatio præ omnibus commendanda est; hæc modicè instituta sanguinem e partibus corporis interioribus superficiem versus derivat, et simul omnes secretiones et excretiones quàm optimè promovet. Cùm autem exercitatio vehemens, ut suprà innuimus, apoplexiam inducere periclitatur, nunquam ad defatigationem usque continuetur, præsertim in obesis; nec tuta est

postquam

postquam respiratio concitatior, et calor auctus, supervenerint.

Cùm in omnibus ferè morbis capitis, alvus fusa prodest, nocet astricta, unde sanguis plerumque uberiùs justo caput versus propellitur ; assiduè curandum est iis, quæ eam leniter solutam teneant, ne æger ex hoc fonte aliquid detrimenti capiat. Acrioribus catharticis raró utendum est, nisi quædam morbi instantis indicia his opus esse moneant.

In iis porrò exemplis ubi dolor capitis, vertigo, sensuum internorum confusio, aurium tinnitus, visus depravatus, et alia hujusmodi morbum planè imminere testantur, sanguinis detractio præsidium paratissimum præbet, qui liberè et promptè eductus ad paroxysmum arcendum sæpe valet. Cùm tamen crebra sanguinis missio corpus non solvit, sed etiam vasorum plenitudini favet, ad eam, nisi æger ex ancipiti periculo eripiendus est, confugere non licet. In lenioribus exemplis hirudines temporibus, vel scarificationes occipiti admotæ, huic consilio optimè subveniunt.

Nec

Nec leve auxilium præbent fonticuli et setacea collo vel aliis partibus capiti vicinis indita; hujusmodi ulcera diu aperta servata in quibusdam exemplis plurimum emolumenti secum attulerunt. Quodsi humor ex his efflu-ere solitus intempestivè repressus fuerit, mali effectus jure timendi sunt. Ratione haud absimili, si ulla apoplexiæ venturæ signa ex evacuationibus solitis malè suppressis minitentur, hæ statim revocandæ sunt; vel, si hoc fieri non potest, aliæ, quæ earum vicem suppleant, instituendæ.

Quibusdam apoplexiæ opportunis frigida capiti priùs raso subinde affusa egregiam opem attulisse fertur; quid valeat, certè in omnibus experiri debemus.

FINIS.